



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia  
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De  
Divina Gratia Pars ...**

Continens Posteriores Libros Septem De Habituali Gratia, Sanctificatione  
Hominis, Ac Merito

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, 1621**

Cap. II. Vtrum ad meritum apud Deum, aliquis actus hominis necessarius  
sit?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94104)

nihilominus semper propria excellentia primæ, & vniuersalis, ac independentis causæ. Ita ergo nostrum meritum ostendit quidem efficaciam meriti Christi, eius vero excellentiam nullo modo minuit, quia semper est veluti prima causa in genere meriti, & vniuersalis in excellentia infiniti meriti, de rigore iustitiæ, & vniuersalis in sua causalitate, quia ab ipsius merito omnia aliorum merita pendent, & in omnibus meritis ipse Christus actu influit per meritum suum, ut infra videbimus. Et hoc est, quod ipse dixit Ioan. 15. *Ego sum vitis vos palmites, & sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, ita & vos, nisi in me manseritis, & qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* & similia, ac propterea per nostra merita non diuidimus gloriam inter nos, & Christum, quia tota gloria meritorum nostrorum in ipsum redundat. Scut beatitudo eius non minuitur ex eo, quod nos illius participes inferiori modo efficiat.

Ad fundamenta Catholicorum respondetur, & in primis ad illud Rom. 8. *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam*: respondetur Paulum loqui de operibus huius vitæ, & præsertim de passionibus externis secundum se consideratis: nam ut sic non habent condignitatem cum præmio gloriæ: habent autem illam, quatenus cum gratia coniuncta sunt, & ab illa dignitatem, & valorem accipiunt. Hoc est enim quod prius dixerat. *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei.* Et infra. *Si autem filij, & heredes heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, si tamen compatimur (utique ut confortes, & fratres eius per gratiam) ut & conglorificemur.* Et tunc adiungit. *Existimo enim, quod non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, nimirum, nisi ipse spiritu Dei moti tanquam filij Dei illas toleremus.* Quod autem passionibus illæ in se spectatæ non habeant illam condignitatem, explicatur à Paulo in alio citato loco 2. ad Cor. 4. quia passiones sunt leues, & momentaneæ, pondus autem gloriæ magnum est, & æternum. Ita fere respondent Ruard. art. 11. & Bellarm. libr. 5. de Iustific. cap. 3. in 6. argum. & Romeus supra dicta verit. 22. estque optima responsio.

Neque contra illam obstat secundum fundamentum Durandi, quia Maior ab illa assumpta falsa est, nam opera nostra ex virtute gratiæ habent condignitatem proportionis ad gloriam, ut iam declarauimus. Et ad primam impugnationem respondeo, licet Spiritus sanctus sit extrinsecus motor, nihilominus cum in iustis per gratiam habitat, illos reddere intrinsece proportionatos, & dignos gloriæ, & consequenter dare illis intrinsecam dignitatem, & virtutem per quam faciant opera tali præmio digna. Vnde non accipiunt merita hanc condignitatem ab Spiritu sancto tanquam à forma, ut sic dicam, vel immediato motore, sed à gratia, & tanquam à forma, & tanquam ab interno principio, à quo habent actus interni, in quibus est proprium meritum, substantiam, & perfectionem proportionatam gloriæ. Et ideo non est simile de actu peccatoris ex motione Spiritus sancti facti, quia non est à Spiritu sancto, ut inhabitante, & ideo saltem illi deest dignitas gratiæ. Altera vero impugnatione Durandi in superioribus soluta est, ubi explicauimus metaphoram, qua gratia dicitur semen gloriæ, & quando deferuiat ad propriam condignitatem meritorum probandam, declarabimus. Augustinus vero in Præfat. ad Psalm. 102. & in Enarat. Psalm. 125. non solum gratiam ipsam, sed etiam opera, quæ ab ea procedunt, semina vitæ æternæ vocauit, de illis optime intelligens verba illa. *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.* Et illa Pauli 2. ad Corinth. 9. *Qui parce seminat, parce & metet.* Et ad Galat. 6. *Qui seminauerit homo, hac & metet.* Et infra. *De spiritu metet vitam æternam:* nam sicut semen virtute continet arborem, vel fructum, ita opera gratiæ virtute continent gloriam, ad quam tendunt, & ideo dicuntur habere dignitatem proportionis cum illa.

Tertium fundamentum Durandi magnam postulat questionem, an ex tali merito de condigno redderetur in Deo verum, & proprium debitum iustitiæ ad reddendum præmium? Cuius questionis decisio multa postulat, quæ paulatim tractanda sunt, & ideo nunc illam inferius tractandam remittimus. Breuiterque dicimus, posse intelligi condignitatem merito respectu præmij, quicquid sit de obligatione iustitiæ ex parte Dei ad reddendum illud. Quia condignitas in hoc solum spectatur, quod opus habeat proportionem, & moralem valorem respectu talis præmij. Potestque per obligationem iustitiæ quasi hypothetice explicari, quia de se sufficiens est ad obligationem iustitiæ ex parte reddentis præmium, si persona eius talis obligationis capax sit. Hactenus ergo solum probauimus, dari in iustis hoc modo meritum de condigno. Argumenta vero in d. & d. fundamento à Durando propolita procedunt contra obligationem ex parte Dei, eorumque vim postea expendemus.

## CAPVT II.

Virum ad meritum apud Deum aliquis actus hominis necessarius sit?

Terminata quæstione, an sit in hominibus meritum de condigno apud Deum? tractanda sequitur, quid tale meritum sit? Quæ non potest à nobis melius explicari, quam conditiones tale meritum requisitas explicando. Hæ autem conditiones ex quinque capitulis requiri possunt, primo ex parte actus capacis meriti, secundo ex parte personæ merentis: tertio ex parte eius, cui homo de condigno mereri potest: quarto ex parte Dei, apud quem meretur: quinto ex parte Christi, per quem meremur. De quibus ordine dicendum est. Et quia in ipso merito actu, quo meremur multa concurrunt, scilicet generalis, ratio actus, & modus eius, utique ut liber sit, & præterea species, seu qualitas, scilicet quod sit bonus, supernaturalis, internus, vel externus, & siquid aliud est simile, ideo singula distinguenda, & expendenda sunt.

Primum ergo statuitur necessarium esse ad meritum, ut in aliquo actu voluntatis humanæ, seu creaturæ fundetur. Quia proprium meritum dicit ordinem ad retributionem, propter obsequium alicuius actus exhibitum, vel propter opus in utilitatem eius factum, quod non fit sine actu. Neque obstat, quod aliquando creatura dicitur res aliqua mereri proprietatem aliquam, vel accidentalem perfectionem propter excellentiorem naturam, seu essentiam, sicut rationalis natura ratione suæ perfectionis dici potest mereri à Deo maiorem, seu specialem providentiam. Hoc (inquam) non obstat, quia ille est improprius, seu metaphorice modus loquendi, quo tantum significatur proportio quadam, seu naturalis connexio inter talem naturam, & proprietatem, aut influentiam Dei, quam ex natura sua postulat. Proprium autem meritum ultra id, quod naturaliter est, vel ab alio receptum, dicit aliquid exhibitum ab ipso merente, & ideo necessario requirit actum hominis, in quo fundetur, ut sumitur ex D. Tho. 1. 2. q. 21. art. 3. & alijs auctoribus infra citandis.

Dubitari autem potest, an hoc sit proprie, & in rigore intelligendum de actu positiuo, vel positiu extrinsecus? Angetus dicit aliqd aliud, quod proprie actus non fit? In quo puncto Angetus in Moralib. c. 10. §. ante penult. & in gani. sequenti tria distinguit in vsu libero voluntatis humanæ, quæ sunt, actus positiuus elicited ab illa: omisio, seu carctia liberi actus, quæ sine positiuo actu potest esse indirecte voluntaria, & conatus ad agendum, vel volendum, qui non habet effectum propter occursum impedimentum. Hunc conatum ponit ut medium inter actum, & priuationem eius, quia putat esse aliqd positiuum, & in hoc à priuatione, seu omissione actus distinguui, & nihilominus non peruenit ad actum, quia vel Deus non

non vult ad illum concurrere, vel aliud impedimentum conanti voluntati resistit. Hæc igitur partitione supposita, dicitur in omnibus illis posse inueniri meritum proprium, & de condigno, ac proinde cum dicitur, meritum esse actum, intelligendum esse late de proprio actu, vel de quolibet alio moraliter illi æquivalente, vt sunt moralis priuatio, vel conatus. Ad eum modum, quo D. Thomas 1.2. q. 71. art. 6. explicat definitionem peccati, qua dicitur esse dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei, dicens sub illis terminis significantibus actiones, subintelligendas esse oppositas omissiones: nam peccatum etiam esse potest non dictum, vel factum, vel non concupitum secundum legem Dei.

4. Ratio prædictæ opinionis. Atque hinc sumitur primum fundamentum huius sententiæ: nam meritum pœnæ potest esse sine actu: ergo & meritum præmij. Antecedens supponitur ex D. Thoma supra art. 5. dicente, posse inueniri peccatum sine aliquo actu, sicut in eadem 1.2. q. 6. art. 3. dixerat, posse inueniri voluntarium sine actu: omne autem peccatum est meritorium pœnæ. Consequentia vero probatur à paritate rationis, quia sicut omittere bonum debitum malum est, ita abstinere à malo prohibito, bonum, & laudabile est, & sicut primum potest fieri sine actu, ita & secundum: ergo sicut primum est meritorium pœnæ, ita & secundum est meritorium præmij. Et confirmatur: nam Ecclesiast. 31. beatificatur ille, qui inuentus est sine macula: & de illo subditur. Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit. Et additur. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino: ergo illa abstinencia à malo digna est retributione apud Deum. Confirmatur secundo, quia duæ sunt partes vniuersalis iustitiæ, scilicet facere bonum, & declinare à malo, teste D. Thom. 2.2. q. 79. art. 1. & Aristotele 3. Ethicor. cap. 5. & sumitur ex illo Psal. 146. Declina à malo, & fac bonum, & inhabitabis in seculum seculi: sed meritum respondet iustitiæ: ergo in vtraque parte iustitiæ præcise spectata potest meritum inueniri. Alterius fundamentum huius sententiæ sumitur ex parte conatus, quia potest voluntas conari, & non facere propter impedimentum, ergo si conatus sit ad bene operandum, solus sufficit ad meritum sine actu, cum per voluntatem non stet, quominus cum conatu simul etiam actum habeat.

Confirm. 1. ratorium præmij. Et confirmatur: nam Ecclesiast. 31. beatificatur ille, qui inuentus est sine macula: & de illo subditur. Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit. Et additur. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino: ergo illa abstinencia à malo digna est retributione apud Deum. Confirmatur secundo, quia duæ sunt partes vniuersalis iustitiæ, scilicet facere bonum, & declinare à malo, teste D. Thom. 2.2. q. 79. art. 1. & Aristotele 3. Ethicor. cap. 5. & sumitur ex illo Psal. 146. Declina à malo, & fac bonum, & inhabitabis in seculum seculi: sed meritum respondet iustitiæ: ergo in vtraque parte iustitiæ præcise spectata potest meritum inueniri. Alterius fundamentum huius sententiæ sumitur ex parte conatus, quia potest voluntas conari, & non facere propter impedimentum, ergo si conatus sit ad bene operandum, solus sufficit ad meritum sine actu, cum per voluntatem non stet, quominus cum conatu simul etiam actum habeat.

Confirm. 2. Ratio 2. Nihilominus vera sententia est, ad meritum præmij apud Deum requiri proprium, & positium actum voluntatis. Hæc est communis Theologorum doctrina, quam expresse tradit D. Thomas 1.2. q. 91. art. 5. ad 1. & in 2.2. q. 79. art. 1. ad 2. & art. 4. Altiliodoren. lib. 2. sum tract. 29. cap. 2. q. 1. ad 2. Durand. in 2. d. 31. q. 2. ad 2. & ex professo tradit Maior in 3. dist. 38. q. 1. Cumel. 12. q. 11. art. 3. disput. 5. alij vero Theologi id potius supponunt, quam disputant. Vt autem hanc sententiam probemus in primis excludendum est illud medium inter actum, & priuationem actus: quod Angelus fingit, & conatum appellat, quia in voluntate nullus conatus moralis, & voluntarius intelligi potest sine aliquo actu positio ab illa elicto, licet bonus actus voluntatis possit esse, & appellari conatus ad alium actum, quem fortasse perficere non potest. Vtrumque simul declaratur, & probatur: nam vel actus, ad quem voluntas conatur, est externus, id est, alterius potentia à voluntate, vel ab ipsa voluntate eliciendus. Si actus sit externus, & homo possit exequi illum, tunc si voluntas vere, & efficaciter conetur, habebit effectum, & ita non erit sine actu, ad quem conatur. Si vero executio voluntatis non est in hominis potestate, quia vel DEVS non vult ad talem actum concurrere, vel potentia hominis executiua alicui est impedita, tunc conatus voluntatis non est, nisi aliquod desiderium: seu affectus ad exequendum talem actum, si possit, & tunc conatus ille meritorius esse potest sine actu, quem pro obiecto habet, quia tunc voluntas pro facto reputatur, non tamen propterea tale meritum est sine

actu absolute, & simpliciter, quia conatus ille aliquis actus est ab ipsa voluntate elictus: nam est desiderium, & actualis affectus eius.

Idemque argumentum fiet, si voluntas dicatur conari ad actum à se elicitum, vel eliciendum. Nam si talis actus est in potestate voluntatis, & illum non elicit, profecto ad illum non efficaciter conatur, sed ad summum inefficaciter, & tunc conatus non est, nisi simplex aliquis affectus, seu velleitas, (vt vocant) quasi reflexa super alium imperfecte amatum, seu desideratum. Vnde si in tali conatu potest esse aliquod meritum, illud non est sine aliquo actu elicto voluntatis, licet imperfecto, & reflexo. Quod si voluntas ita conetur ad actum elicitum, vt exequatur illum, tunc conatus voluntatis non est aliquid distinctum ab effectione ipsiusmet actus, neque in illo conatu est aliud meritum, quam sit in ipso actu. Ergo propter meritum conatus non oportet fingere meritum sine actu, cum conatus ipse non possit esse in voluntate sine aliquo actu ab ipsa elicto. Quocirca licet inter aliquem particularem actum, & priuationem eius cogitari possit conatus quasi quid medium inter vtrumque: nihilominus inter actum, & priuationem actus generatim sumptam, non potest intelligi conatus medius, quia non potest fingi conatus positius, & distinctus ab actu primo, qui non sit actus elictus ab ipsa voluntate, quia per illum conatu actualiter mouetur voluntas volendo, seu desiderando alium actum internum, vel externum, illa autem motio actualis voluntatis aliquid positium in ipsa est distinctum ab actu primo, & illi additum, & pendens ab efficientia ipsius voluntatis, cum voluntas ipsa libere conetur, & consequenter pendens etiam à concursu Dei: erit aliquis actus ab ipsa voluntate elictus. Igitur ex hac parte non potest dari meritum sine actu.

Supereft, vt probemus in sola carentia actus mali non posse meritum inueniri sine actu. Quod in primis probant dicti auctores præsertim D. Thomas ex differentia inter meritum, & demeritum, nam meritum habet rationem boni, demeritum autem rationem mali: bonum autem confurgit ex integra causa, malum vero ex quocunque defectu, & ideo licet ad peccatum, seu demeritum sufficere possit, non facere, quod quis tenetur, nihilominus ad meritum non satis est pura negatio actus mali, sed necessaria est positua voluntas, qua quis velit, aut non agere, quod prohibitum est: aut tentationi resistere, quia sine voluntate perfecta, & propria non potest esse meritum. Itaque ad demeritum sufficere potest voluntarium indirectum, seu interpretarium: ad meritum autem, quod perfectius est, requiritur voluntarium perfectum, & directum, quod sine actu voluntatis esse non potest, vt ex 1.2. q. 6. suppono. Potestque hoc confirmari ex doctrina D. Thomæ in eadem quæst. art. 3. ubi ait, omissionem actus non esse indirecte, ac moraliter voluntariam, nisi quando homo potest, & tenetur aliquid facere, & sciens, ac videns illud non facit. Hoc autem accidere potest in omissione bonorum actuum, non autem in omissione malorum: nam in bonis actibus potest supponi potestas, & obligatio faciendi, in malis autem licet supponatur potestas, non potest supponi obligatio, & ideo licet omisio boni actus possit esse moraliter voluntaria tantum indirecte, ita vt homini ad demeritum tribuatur: nihilominus omisio mali actus non potest ita esse voluntaria moraliter, & indirecte, vt ad meritum tribuatur, sed oportet esse directe volitam per aliquem actum.

Declaratur præterea, & varijs modis confirmatur hæc ratio, quia abstinere ab actu malo non potest esse meritorium, nisi sit voluntarium, alioqui mereretur homo dum dormit, quia nihil mali operatur. Non potest autem esse voluntarium, quin aliqua sufficiens consideratio præcedat, quia nihil volitum, quin præ-

6. Vrgetur argumentum factum.

7. Reijcitur etiam pura omisio à fundando merito. Id probatur à D. Tom.

8. Auctoritas probatio 1. ad idem.

Eugisio.

Rejicitur.

9.  
Secunda.10.  
Tertia.11.  
Ad rationē  
pro A. gesto  
in n. 4.

cognitum. At vero posita sufficienti cogitatione inducente ad actum malum, homo non se continet ab illius executione, nisi volendo: ergo talis omisio mali actus non est meritoria, nisi ratione boni actus, quovult homo à tali malo abstinere. Dices, non esse necessarium, ut id velit, per actum positivum, sed satis esse, si voluntas suspendat omnem actum tam nolendi, quam volendi malum actum, seu obiectum sibi propositum. At profecto multi putant, hoc esse simpliciter impossibile, quod non est improbabile, veruntamen saltem est certum, id esse moraliter difficilimum, & non contingere, nisi homo cum magna reflexione ad id attendat, ut suam experiatur libertatem etiam circa suspensionem actuum. At vero vult talis potestatis, & suspensio actus boni, quo homo refutet actum malum sibi per cogitationem ablatum, non est laudabilis, sed otiosa: imo, & moraliter periculosa: ergo talis modus non operandi malum non potest esse meritorius: ergo ut homo mereatur, non operando malum, necesse est, ut directe velit illud non facere, vel ut velit facere aliud bonum impossibile cum illo malo, & ita non est hoc meritum sine actu.

Quod aliter comprobatur ex alia differentia inter bonam, & malam voluntatem, nam ut homo male velit, non est necesse, ut velit malum, quia malum, id enim repugnat, sed satis est, quod velit malum sufficienter cognitum, etiam si ex motu bono indifferente illud velit, quia malum ex quocunque defectu. At vero ut homo bene, ac meritorie velit, non satis est, ut velit bonum, sed oportet, ut velit, quia bonum, seu ex honesto motu, ut suppono ex 1.2. q. 18. & statim c. 4. attingam. Hinc ergo est, ut ad demerendum satis sit omisio boni actus debiti, etiam si per puram privationem, & indirecte tantum voluntariam, esse supponatur, quia illa privatio boni actus est mala quocunque modo, vel ex quocunque motu sit voluta. At vero omisio actus mali non sufficit per se ad honestatem actualem voluntatis, quia potest esse voluta ex bono, & ex malo motu, ergo ut simpliciter sit honesta, & meritoria, necessarium est, ut sit voluntaria, seu intenta ex aliquo honesto motu: non potest autem esse sic intenta, sine positivo actu voluntatis, ut per se notum videtur, quia intentio dicit positivum actum, & quia non potest discerni inter motuum honestum, ac turpe, vel indifferens, nisi per positivum motum voluntatis: ergo ad meritum in non agendo malum necessarius est positivus actus voluntatis, quo id velit ex honesto motu.

Et confirmatur, quia meritum apud Deum debet in gloriam eius aliquo modo referri, quia de ratione meriti in communi est, ut sit obsequium, vel commodum eius, apud quem est tale meritum. At vero pura carentia actus mali non refertur in gloriam Dei, quia neque intrinsece habet illam relationem, cum de se sit indifferens, ut bene, & male appetatur, neque etiam ex relatione operantis, quia supponitur nullum habere actum: ergo talis pura carentia non potest esse meritoria apud Deum. Denique per meritum tendit homo in beatitudinem: per illam autem negationem actus homo non tendit in beatitudinem, sed ad summum ab illa non recedit: ergo non sufficit illa negatio ad meritum: ergo semper necessarius est aliquis positivus actus, in quo meritum fundetur.

Atque ex his solutum manet fundamentum contrariæ sententiæ. Quicquid enim sit de peccato, seu demerito, multi enim putant etiam illud haberi non posse sine positivo actu, etiam si nunc contrarium admittatur, non refert, quia longa diversitas ratio est in bono, quam in malo merito, ut satis explicatum est. Et humano, ac morali modo id est evidens: nam ad offendendum Deum, & demerendum apud illum, satis est, non facere voluntatem eius: ad merendam autem retributionem, non satis est illum non offendere, sed aliquid etiam in obsequium eius facere ne-

cessesse esse. Unde ad primam confirmationem respondemus, laudari, & premio affici iustum, qui potuit transgredi, & non est transgressus, propter voluntatem obediendi Deo in non transgrediendo voluntatem eius. Et similiter ad secundam confirmationem dicitur cum D. Tho. dicta q. 79. art. 1. ad 2. quod de linare à malo, secundum quod ponitur pars iustitia, non importat negationem puram, quod est non facere malum, hoc enim non meretur premium, sed solum vitæ poenam. Importat autem motum voluntatis repudiantis malum, ut ipsum nomen declinationis ostendit. Ad alteram partem de conatu, satis responsum est.

## CAPVT III.

Virum libertas actus necessaria sit, ut ille sit meritorius?

Hæc quaestio disputari potest, vel etiam secundum legem ordinariam rerum naturis consentaneam, vel etiam secundum absolutam Dei potentiam. In priori sensu certissimum est de ratione actus meritorij esse, ut sit liber, libertate utiq; propria, quæ indifferentiā ad volendum contraria, vel saltem ad volendum, & non volendum requirit, ideoque necessitati opponitur, & non tantū coactioni, ut in proleg. 2. c. 1. & 2. late declaravimus. Atq; hoc in sensu veritatem hanc docent cōmuniter Theologi in 3. d. 18. tractantes de Christi merito, Bonau. art. 1. q. 1. ad 3. Scot. q. vnic. 5. Est igitur, & in solut. ad 4. Albar. 2. ad 1. & 2. Richard. art. 1. q. 1. Almain. q. 1. Duran. q. 2. n. 5. & in 2. d. 5. q. 3. ad 1. & dist. 27. circa litteram Magistri. vbi alij Theologi idem sentiunt, & Ocham in 1. d. 17. q. 2. Alex. Alenf. 3. par. q. 17. m. 2. art. 2. Marfil. in 3. q. 12. art. 1. Soto lib. 3. de Natur. & grat. c. 7. Vegalib. 15. in Trid. c. 16. Hosius in Confess. c. 37. Bellarm. lib. 5. de Iustific. c. 10. Et sine dubio fuit sententia D. Th. in 1.2. q. 21. art. 3. vbi rationem meriti, & demeriti ponit ut proprietatem actus moralis, & humani, de cuius ratione est libertas. Unde in solut. ad 2. docet, hominem esse dominum illorum actuum, per quos meretur, & art. 3. ad 2. sic ait. Homo sic mouetur à Deo ut instrumentum, quod tamen non includit, quin moueat se ipsum per liberum arbitrium, & ideo per suum actum meretur, vel demeretur apud Deum. Et idem supponit de merito Christi in 3. p. q. 19. art. 3. & 4. iuncto art. 4. quaestio 18.

Potest autem hæc assertio probari eisdē Scripturæ locis, quibus libertas arbitrij demonstratur: nam in Probatum eisdem significatur, ideo hominem esse premij, & assertio lib. poenæ capax, quia libertatem arbitrij in suis operibus, & electionibus habet. Hoc patet manifeste ex 1a. vbi dicitur vulgari loco Ecclesiast. 15. Deus ab initio constituit hominem in manu consilij sui, &c. vsque ad illud. Ante hominem iustitiam vitam, & mors, bonum, & malum, quod placuerit, dabitur illi: dicitur utiq; tanquam poena, vel præmium. Et eandem vim habet illa conditionalis: Si volueris mandata servare conservabunt te. Simili modo Ecclesiast. 31. de iusto dicitur. Quis est hic, & laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita sua qui probatus est in illo, & perfectus est, & erit illi gloria æterna: & ita iterum additur. Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere malum, & non fecit: quia sine hac libertate nihil esset admiratione, vel præmio dignum in operibus iustorum, quod satis declarat Sapiens, cum adiungit. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino, & elemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum. Idem ostendi potest ex verbis Pauli 1. ad Cor. 9. Sic volens hoc ago, mercedem habeo: quod de voluntate libere operante merito exponit Augustinus lib. de Grat. & liber. arbit. cap. 2. Significat ergo Paulus, tunc solum esse locum mercedi, & præmio, quā opus libera voluntate sit, & ideo de se dicit 2. Timoth. 4. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidē servavi in reliquo repositus est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die iustus iudex, non solum autem mihi, sed ex his qui diligunt aduentum eius. Corona autem libertatem operum supponit, quia ut dixit Hierony. lib. 2. contra Iovin. Vbi